



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput VII. De damno in corpus per mutilationem & homicidium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

*eamdem cognoverunt feminam, non sunt conjecturæ rationis, ad præsumendum magis esse prolem unius, quàm alterius, nudè est æquale dubium, uter sit pater: Queritur, à quo debeat accipere alimenta?*

R. Uterque debet ex parte concurrere ad alimenta, quia certum est, esse alterius filium. Ratio est, quòd filius jure naturæ habeat actionem adversus patrem, ut sibi alimenta præbeantur; cum ergo constet illum esse genitum ab uno illorum, & determinatè sciri non possit, uter sit ejus pater, nè talis actio, & debitum inutile reddatur, inter utrumque debet dividi.

## CASUS XVI.

*Quid faciendum cum illo in Casu restitutionis, qui dicit: Dubito, an ex copula, quam habui cum uxore alterius, nata sit proles, & tamen post copulam nata est proles, sed dubitat, utrùm sua sit, an teneatur ad aliquam restitutionem?*

R. Quòd teneatur ad damni restitutionem pro ratione dubii. Ratio est, quia aliàs melior foret conditio nocentis, quàm innocentis, quia maritus adulteræ est innocens, & tamen deberet subire periculum alendi fortè alterius prolem. Quòd autem adulter secundùm hanc sententiam illud onus debeat subire, imputet suo delicto.

## CAPUT VI.

*De damno in corpus per mutilationem, & homicidium.*

**H**Oc præcepto. *Non occides*, prohibetur sola, & omnis occisio hominis, quæ fit auctori-  
rate

tate propriâ. Præceptum illud, *Non occides*, est omninò generale, omnes semper, & ubique obligans, in quo nullâ lege possit propriè dispensari, cùm sit lex naturæ, cui est proprium, hominem omnem obligare, idque semper, ac prorsus inviolabiliter.

Collige tamen, auctoritatem Divinam aliquando quosdam casus excepisse generaliter, aliquando specialiter injungendo aliquorum occisionem, uti sæpè factum est in Veteri Testamento; *Tu enim es Domine, qui vita, & mortis habes potestatem*. Divina auctoritas non nisi tres exceptiones fecit à lege sua generali: 1. Scilicet lege generali permittendo, ut justa bella gerantur. 2. Dando gladium publicæ potestati, ut malefactores, & Rei-publicæ noxios occidat. 3. Jussione speciali, aut supernâ inspiratione alicui, vel aliquibus mandando, ut se, vel alium interficiant. *His autem casibus exceptis, quisquis se, vel alium occiderit, homicidij crimine innectitur*. S. Aug. l. i. de Civ. cap. 20.

P. 1. An sit licitum occidere invasorem bonorum temporalium, etiamsi sinè occisione invasoris conservari non possint?

R. Neg. Quia occidere proximum pro defensione rerum temporalium, est contrà præceptum *Non occides*: quia omnis occisio hominis privatâ auctoritate facta, est verum homicidium, cùm non reperiat auctoritas data ab auctore vitæ: sed contrà, hoc prohibitum intelligitur cap. *si perfodiens*, ubi dicitur, *furem diu-*

diurnum occidi non posse, & additur hæc ratio: *Quia poterat discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset.*

2. An liceat occidere invasorem pudicitiae, famæ, & honoris?

R. Neg. Quia ex nullo capite constat, datam esse ejusmodi auctoritatem ab eo, qui est author Deus vitæ & necis.

3. An sit contra justitiam & caritatem occidere injustum vitæ aggressorem?

R. Neg. ad utrumque; servato scilicet moderate inculpatæ tutelæ. Constat ex citato cap. *si perfodiens*, de homicidio, ubi ex S. Aug. q. 84. super Exodum dicitur, furem nocturnum posse occidi, non verò diurnum, adjectâ hæc ratione: *Quia poterat discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset.* Eâdem autem quæstione dicit: *Non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur.*

Hoc maximè locum habet, si invasus sit in statu peccati mortalis. Enimverò quis tali in vaso in occasione inflammati sanguinis, aspectûs inimici, strictique gladii posito spondebit caritatem, quæ ad justificationem sufficiat, & salutem? &c. Conjicias aliquid, spondere quid certi non potes. Ubi autem amor incipit à seipso, cur caritas proximi me tam strictè obligaret, ut à conjecturæ alea fors meæ pendeat æternitatis?

4. An judici liceat capitis damnare eum, qui publicè probatur nocens, quem privatâ scientiâ novit innocentem?

R.

R. Judex talis respiciat legem Exodi 23. latam: *Infantem, & justum non occides. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devias.*

5. An data sit facultas occidendi seipsum absque mandato Rei-publicæ, vel se mutilandi?

R. Neg. ad 1. Ad 2. autem dico, id non licere sine justa causa. Ratio est, quia homo non est dominus vitæ suæ, & membrorum. Hinc sequitur, peccâsse Lucretiam occidendo seipsam, nec ab illo peccato ullam posse excusari matronam propter odium stupri, quod violenter passa est.

6. Quomodo homicida, & mutilator obligantur ad restitutionem?

R. 1. Qui alterum injustè occidit, vel mutilavit, tenetur ad restitutionem damni in curatione, & morte factam. Item ad compensandum damnum emergens, & spem lucri cessantis, quod ex arte, vel industriâ læsi, aut defuncti provenisset. Ratio est, quia hæc omnia illi sunt imputanda, adeoque subest titulus injustæ damnificationis.

Debet autem spes lucri æstimari ad arbitrium prudentis viri, deductis expensis, quas occisus, vel læsus erat factururus in procurando lucro, casu quo mansisset illæsus: item attentâ ætate, robore, & complexione occisi, nec non periculo, cui illud lucrum erat obnoxium: nam juvenis V. G. robustus, & firmæ valetudinis plus lucri sperare potest, cæteris paribus, quam

quàm valetudinarius, delicatus, aliusvè, qui fortè ratione senii, vel ægritudinis brevè erat moriturus.

§. 2. Qui liberum hominem injustè occidit, aut mutilavit, non tenetur pecuniâ, vel alio simili compensare vitam secundùm se, vel membrum deperditum: quia vita, & membra secundùm se, & quoad substantiam non subjacent dominio hominis, sed Dei, adeoque soli Deo per pœnitentiam est satisfaciendum.

## C A S U S XVII.

*Quid faciendum Confessario, si uxor confiteatur: Habui rixas cum meo marito?*

Petendum 1. quoties habuerit tales rixas, & an non habeat rixandi consuetudinem? 2. An dederit causam rixandi? Quod si ità, 3. An non dederit domesticis scandalum &c. Tollenda hîc radix per media præscribenda, & efficaciter inducenda uxor ad pacem ineundum. Si dicat, maritum dare causam dissentioni, eò quòd sæpè se inebriet, familiam turbet, domesticos scandalizet; inquirendum, 1. An non excefferit rixando? Tunc admonenda, ut bonitate maritum flectat. 2. An non negaverit marito debitum, ad quod sub gravi obligatur. 3. An marito non maledixerit &c. Tandem præscribenda remedia, quomodo in similibus casibus se gerere debeat, infirmitates mariti, durante tempore ebrietatis, supportando, opportuniùs præstolando, quò melioris instructionis capax est.

CA-

108 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIÆ.  
CASUS XVIII.

*Quid faciendum cum illo, qui simpliciter diceret:  
occidi hominem?*

R. Petendum, an fuerit homicidium voluntarium, an casuale; inquirendum, an merè inadvertenter & præter omnem intentionem alium occiderit, adhibitâ sufficienti diligentia, tunc enim, sicut non peccat, ita etiam non obligatur ad restitutionem: si autem sufficientem non adhibuerit diligentiam ad mortem præcavendam tui proximi, putâ, si juxta viam publicam venando, in qua solent transire multi homines, ibi explodat, existimans occidere feram, & occidit hominem; vel si ex fenestra domûs claro die ejiciat ligna in plateam populo frequentatam, & nullam, vel parvam adhibeat diligentiam: eò autem major est adhibenda diligentia, quò majus est periculum, quod imminet. Ut cognoscas quantum peccet casualiter occidens, accipe duas regulas, quas ex lib. 5. Decret. tit. 12. adducit Molanus Doctor Lovan. in compendio Theologiæ practicæ Tract. 2. cap. 12.

*Is, qui facit actum licitum, tantum peccat, quantum est ejus negligentia.*

*Is, qui facit actum illicitum, undè probabiliter mors sequitur, is in tantum occidendo peccat, quantum est peccatum actus, quem illicitè perpetrat.*

Si dicat pœnitens, quòd voluntariè aliquem occiderit, petendum 1. an alium invaserit, vel an occasionem dederit, quòd alter cum invase-

rit,

rit, an autem ab alio invasus fuerit? Si invaserit alterum, 2. petenda ratio, an ex odio, vel vindicta? An ex ira, & subitanea passione? An merè ad alterum injuriandum? An ad mandatum, vel consilium alterius? An ad defendendum suum honorem, & famam? An ad defendenda bona fortunæ? &c.

Si dicat, se ex ira, & passione alium invasisse, & occidisse, petendum, an id non fecerit ex aliqua passione obnubilante rationem, sic ut non fuerit sui compos, tunc enim multùm diminuitur de culpa, nisi passionem hanc prævidere poterit, quâ ratione non excusantur ebrii, tempore ebrietatis ad iras proni &c.

Si dicat, quòd ex mero odio, vindicta, vè invidia alterum invaserit, & occiderit, petendum, qualis fuerit persona, quam occidit, an Clericus? Tunc est sacrilegium: an parentes? An cognatos intrâ quartum gradum? Sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes. Petendum, à quo tempore habuerit animum occidendi, & quoties renovaverit propositum? Et tum obligandus ad restitutionem parentibus, uxori & liberis occisi eventientium damnorum, si reverà ex isto homicidio sequantur, conformiter ad ea, quæ resolvimus petit. 6. Deinde monendus de contracta inhabilitate perpetua ad S. Ordines, atque beneficia, & officia Ecclesiastica, ut constat ex Conc. Trid. sess. 14. de Reformatione, in qua inhabilitate nullus, nisi Pontifex dispensare potest, si homicidium sit voluntarium, licèt sit occultum. Hæc



resolutio locum habet, dum alter alterum occidit ad conservanda bona fortunæ, tuendam famam, ad defendendam pudicitiam. Denique tandem, si nihil obstet, & videatur pro qualitate criminis sufficienter contritus, si habeat Confessarius auctoritatem absolvendi à reservatis, absolvat.

Pœnitentiam homicidis voluntariis imponendam præscribit Paulus Comitulus in suis responsis Moralibus l. 4. q. 11. n. 8. & ex illo Diana d. 5. tract. 4. respons. 43. *Hæc meo quidem animo salutaris esset, ut interfecti propinquis supplicem se objiceret, delictique veniam deprecaretur, ut iisdem damna sarciret, ut pro salute occisi singulis hebdomadis per annum unum integrum saltem sacrificium Missæ, si tunc ei sit in bonis, fieri curet. Ut singulis item hebdomadis Eleemosynam aliquam pro illius anima per totum annum largiatur egentibus, ut per eundem annum, si legendo gnarus sit, Litaniarum, aut si ignarus, coronam beatissimæ Virginis quotidie flexis genibus recitet. Ut octavo quoque die per annum Sacramento Pœnitentiæ suæ peccata expiet, & singulis mensibus (si dispositus sit) Eucharistiam sumat, ut in omni vita quotidie semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pronuntiet, terram genibus tangens pro anima occisi. Hæc laudatus è Societate JESU Paulus Comitulus.*

## C A S U S XIX.

*Quid faciendum cum illo, qui dicit: Habui duellum?*

Re. Primò ab ipso petendum, an alterum pro-

vocaverit ad duellum, an verò provocatus fuerit? Quia provocans sinè dubio graviùs peccat. 2. An à longo tempore odium habuerit erga alium, quem provocavit, & quoties renovaverit propositum alterum provocandi? Et hoc maxime, si quandoque voluntas fuerit interrupta. 3. Qualis fuerit persona, quam provocavit? 4. An non sollicitaverit alios, ut essent patrini in duello, & quot? 5. An alterum occiderit in ipso duello? Tunc enim admonendus de pœnis in homicidas voluntarios constitutis, pro quibus vide casum præcedentem. Proponendæ etiam sunt speciales pœnæ, quas Conc. Trid. in duellantes tulit, simul & patrilinos. Punit eos excommunicatione, bonorum præscriptione, perpetuâ infamiâ, & in eo conflictu morientes Ecclesiasticâ sepulturâ. Has pœnas extendit Gregorius XIII. ad duella etiam privata, & Clemens VIII. absolutionem excommunicationis reservat, à qua tamen absolvere possunt Episcopi, si delictum sit occultum, & nondum ad forum contentiosum deductum. Quantum ad infamiam, bonorum præscriptionem, loci amissionem, beneficiorum, & officiorum, illa non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis.

Si dicat se provocatum ad duellum, interrogandus est, an duelli susceptio fuerit necessaria ad defensionem suæ vitæ, & an non fuerit spes mortem evadendi, nisi cum illo digladietur? Si non, tunc moraliter censetur justa vitæ suæ defensio. Si autem susceperit duellum ad defen-

212 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS:  
dendum suum honorem, animositatem, &c. sub-  
jacet pœnis suprà dictis.

TRACTATUS  
DE  
CONTRACTIBUS.  
CAPUT PRIMUM.

*De Contractu in genere.*

§. 1. *De natura Contractûs.*

**C**ontractus strictè sumptus definitur: *Duo-  
rum, pluriumve libera conventio, gignens  
mutuam obligationem.*

Alius est explicitus, implicitus alius. Alius lu-  
crativus, in quo pars altera nihil rependit, ut  
*promissio liberalis, commodatum, &c.* Alius oner-  
osus, in quo aliquid rependitur, ut *emptio,  
venditio &c.*

- P. 1. An ad valorem contractûs requiratur vo-  
luntas præstandi ea, ad quæ contractus obligat?  
R. Neg. Quia contractus solùm requirit consen-  
sum, quo suscipitur obligatio ad aliquid præ-  
standum: potest autem quis absolutè consen-  
tire in obligationem, volendo se obstringere  
ad aliquid præstandum, quamvis in executio-  
ne id præstare nolit, sed fallere intendat.  
2. Qualis consensus ad valorem contractûs re-  
quiritur?

R.